

suo in horto petiit, cum diceret, *Pater mi, si fieri potest, transeat à me calix iste*. At hic nullus fuit veniæ locus, vultus Patris plane tum ab eo fuit auersus, & omnis ira eius in eum effusa, vnde factum est, vt tam diræ plagæ, & omnis generis afflictiones, & corpore, & anima ipsi fuerint perferendæ.

Corporis passiones fuerunt præcipuè istæ.

1. Vix in mundum editus solum vertere, & fugâ salutem quærere, cum ab Herode ad necem peteretur, cogitur? At quare? Nempe referuabat eum Deus ad grauiora supplicia.

2. Toto vitæ suæ curriculo, vt homo mortalis, multis calamitatibus impetitur, ex itinere defatigatur, famem & inediam sustinet, &c. etsi nihil horum peccatis suis (quæ nulla habebat) meruerat.

3. Pius ipse, & religiosus fuit, impiorumque Deum patrem suum blasphemantium, hostis acerrimus, & tamen passim audit, *Blasphemus, Samaritanus, edax, vinipotor, Dæmoniacus, &c.*

4. Ipse cum omnium Dominus esset, & iustissimus, tam en vt fur, seditiosus, aut latro per insidias capitur, vincitur, & vinctus ducitur.

5. Dominus gloriæ, & sapientia Patris, ab hominibus illuditur, conspuitur, vt Morio circumducitur, percutitur, flagellatur, coronatur.

6. Ipse innocentissimus, falsis accusationib. oneratur, & vt publicæ pacis turbator, seductor, & blasphemus accusatur.

7. Tandem iniustissimè damnatus, ad crucem, inter duos latrones suspendendus abripitur.

8. Sanctissima anima eius per mortem illam acerbissimam, à corpore separatur, corpusque vt cadauer, in terram abiicitur. Et de his quidem corporis passionib. humana eloquentia verba facere aliquo modo potest: at de internis animæ cruciatib. quis dignè eloqui poterit? imò quæ pia mens cogitando assequi eas valebit? Vidit ante oculos suos Christus calicem iræ Dei, ad summum quidem plenum, sed tamen ad fundum sibi exhauriendum. Ad quem potū quomodo trepidauerit, vide Luc. 12. 50.

Bapti-